



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum I. Decretalium, Per quadraginta, & tres Titulos distributum, in
quo agitur De Constitutionibus, Seu Legibus universim ...

Krimer, Ferdinand

Augustæ Vindelicorum, 1706

Articulus IV. Pro quibus causis constitui possit Procurator?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73031)

ARTICULUS IV.

Pro quibus causis constitui possit Procurator?

2650. **R**esp. quod pro omnibus, non prohibitis. Nam, cum edictum in L. Mutus, ff. h. t. sit prohibitorium, quidquid non est prohibitum, intelligitur concessum ex L. cum Prætor, ff. de re judicat. Et ideo intervenire potest Procurator in omnibus causis civilibus, tam pecuniarijs; quam liberalibus, seu statum concernentibus; temporalibus, & spiritualibus; & ad lites tam præsentis sive inchoatas, sive futuras, & nondum exortas, tam in secunda, quam prima instantia, seu instantia appellationis. Hinc ad matrimonium contrahendum admittitur Procurator, c. fin. h. t. in 6. quod etiam procedit de sponsalibus.

Prohibetur constitui Procurator pro causis criminalibus; ubi agitur de pœna capitali, vel alia corporali, c. veniens, 15. de accusat. L. i. ff. an per alium cause appellationis &c. L. pen. §. ad crimen. ff. de publ. judic. saltem ex parte Rei, quando contra illum criminaliter agitur ad prædictam pœnam, c. Tue 5. h. t. quod etiam procedit de accusatore, qui, in defectu probationis, obligatur ad pœnam talionis. Excipe tamen, nisi Reus, criminaliter accusatus, in persona commodè adesse non possit; tunc enim ei ad defendendum Procurator conceditur, L. 3. C. de accusat. Plura de hac quæstione diximus l. 5. Tit. i.

ARTICULUS V.

De modo constituendi Procuratorem.

2651. **P**rocurator non tantum præsens, sed etiam absens constitui potest; modo consentiat, seu ratum habeat; L. i. §. 2. h. t. non tantum ad præsentis, sed etiam ad futuras lites, L. 3. ff. eod. nec tantum unus; sed etiam plures super eadem causa, seu lite, idque vel conjunctim; vel singuli in solidum, c. non injustè, 14. h. t. c. si duo 6. eod. in 6. L. pluribus, 23. ff. eod. Constitui etiam potest tacitè, v. g. si ipsi tradantur instrumenta litis, arg. l. fin. C. de pact. conventis.

Potest autem constitui vel in judicio, vel extra. In judicio constituitur 1. quando Dominus ipse præsens, coram Judice, Procuratorem eligit, ejusque personam confirmat, vel promittit, vel caver, se ratum habiturum, quidquid ille egerit, vel gesserit. 2. si Actor, vel Reus conventus, literas mandati offerat Judici, aut mittat, aut ad acta dirigi curet; extra judicium Procurator ad agendum constituitur, vel coram Notario, & testibus; vel si non sit copia Notarij, literis privato, vel ad majorem securitatem publico sigillo munitis. Censetur autem sigillum publicum, sigillum Regis, Principis, Episcopi, Civitatis, Universitatis, ac cujusunque Judicis Ordinarij; sic Haunold. cit. tom. 5. tr. 2. n. 435. Et hi modi constituendi relevant Actoris Procuratorem à satisfactione, §. 3. Institut. de satisfactionibus; quia tamen sine mandato Procurator non admittitur, ut mox dicemus, sit:

§. i.

De Mandato Procuratorio.

2652. **A**D constitutionem Procuratoris requiritur etiam, quod habeat mandatum à Domino, seu principali, de quo nisi fidem faciat, in judicio non est admittendus ad agendum, l. licet, 24. C. h. t. & c. Alia 1. eod. ubi habetur sequens casus: cum Episcopi Solonitani causa Romæ decidenda esset; quidam eò accesserunt, ut causam ejus prosequerentur: sed Episcopus rescripsit, se illos non misisse, ideoque, quæ cum ipsis acta sunt, irrita esse oportere. Postea autem, cum idem Episcopus alios submitteret; neque ipsis fidem habendam esse judicavit Greg. I. Pontifex; eò quod mandatum procuratoriam exhibere non potuerint. Mandat itaque idem Gregorius; ut personam instructam cum mandato legitimo, subscriptionibus Capituli, & testium roborato, aliisque actis authenticis, transmittat; ut, quidquid cum tali Procuratore actum fuerit, de jure subsistat.

Ex hoc textu sequitur 1. de gestis cum Procuratore falso; seu, qui mandatum non habuit, non teneri Dominum, seu Principalem, sed ipsummet Procuratorem conveniri posse, ut habetur cit. L. licet, L. 3. §. falsus ff. rem ratam habere; ac L. Plautius,